

575




JOSEPHI MAGNANIMI
LUSITANORUM REGIS
STATUA VOCALIS,

AUCTORE
ANTONIO PERERIA FIGUEREDIO,
REGIAE CURIAE CENSORIAE DECEMVIRO ORDINARIO,
ET
REGIS IPSIUS AB EPISTULIS LATINIS.





OLISIPONE
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
ANNO MDCCLXXV.
Cum Facultate Regiae Curiae Censoriae.





PRAEFATIO.



VOCALIA per Proſopopoeiam Opera multa novimus antiquitus in Graecia fabricata. Nec vocalia tantum ſimpliciter; ſed quae in prima etiam Perſona Spectatores ſuos non invenuſte adloquerentur. Sic apud Herodotum in vita Homeri antiquiſſima Statua:

Enarrabo Midam cunctis hic eſſe ſepultum.

Sic apud Pauſaniam Libro v. capite 20. OEnomai in Elide Columna:

Hoſpes, Ego illarum pars ſum ſervata domorum.

Sic apud Platonem in *Hipparcho* Statua ejus Mercuralis, *ediſſerens quod in media urbe populoque ſteterit.*

Sic ſervatus ad noſtra uſque tempora Sigeus Lapis in Troade, ſexcentis licet ante Chriſtum annis poſitus, quem multa et exquiſita eruditione a ſe illuſtratum, inter *Antiquitates Aſiaticas* ſuas edidit Patrum aetate Edmundus Chiſullus Anglus:

Phanodici ſum, Filii Hermocratis Proconeſii, &c.

Tranſiit proculdubio a Graecis mos iſte ad Romanos; ex quibus Ennius, doctiſſimus ille

ac celebratiſſimus Latinorum Vatum Pater, ſic per Statuam ſuam loquitur et gloriatur:

Accipite, ô Cives, ſenis Enni imagin' formam:
Hic veſtrûm panxit maxima facta Patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu
Facſit. Quur? Volito vivu' per ora virûm.

His breviter praenotatis nemo jam mirabitur, multo minus vero damnabit, quod Maximum et Optimum Regem nuper Equeſtri Statua Coloſſica ornatum a Senatu et Populo Oliſiponenſi, Luſitanos et quoſvis alios Spectatores per Statuam ipſam adloquentem inducam de Se ac de Rebus ſuis. Ipſo enim die, quo in ſplendidiſſima totius Luſitaniae Panegyri dedicata apud Regium Forum Negotiale eſt Statua ipſa; hoc eſt, octavo Idus Junias anni vertentis MDCCLXXV. laeta ac jucunda mihi in mentem ſubiit cogitatio, de celebrandis publico Monumento aliquo, et memoriae prodendis tanti Regis Operibus, ſupra laudem omnem ingentibus atque admirandis.

Ex omni porro Monumentorum genere nullum ſuccurrebat, quod vel praeſenti Dedicationi eſſet conformius, vel occaſioni ad ſcribendum inde natae convenientius; quam ſi ea, quae propter ſpatii brevitatem nonniſi admo-

modum contracte describi in Statuae Basi poterant; fusius quidem et plenius Regis nomine, et adsumpta quodammodo Regis Persona, Statua ipsa per Prosopopoeiam eloqueretur atque enarraret. Quae ut etiam non ex memoria, sed tamquam de scripto recitare videretur Vocalis Statua; Tabulas aeneas vel marmoreas confinxi sex, tamquam ad ejus latera vel e regione duabus Columnis utrimque adfixas; quae certo ordine et delectu quodam Res diversi temporis et argumenti complecterentur.

Scilicet totidem aeneis Tabulis incidi Rerum suarum Breviarium a se scriptum, moriens testamento mandavit Augustus Caesar, ut in fine Historiae ipsius diserte Suetonius testatur. Totidem incisum non aeneis, sed marmoreis Tabulis in Sebasteo Ancyrano, quod Templum erat Augusto ipsi dicatum a Galatis, post annos mille et septingentos magno Divinae Providentiae beneficio, parique totius Reipublicae Litterariae emolumento, Ancyrae reperit, descripsit, et cum Orbe erudito communicavit *Joannes Pittonus Tournefortius*, qui initio hujus saeculi decimi octavi jussu et peculio Ludovici Magni Gallorum Regis Orientem peragravit.

At-

Atque hinc quidem *Monumenti Ancyrani* nomen huic Breviario obtigit.

Qui itaque non ita pridem *Parallelismum Augusti Caesaris et Josephi Magnanimi Lusitanorum Regis* Lusitano sermone evulgaram, in quo Regis ipsius Acta carptim quidem, sed tamen satis adcurate, Historicum magis quam Oratorem agens enarravi: Ipse paullo post rem exteris Hominibus gratissimam, et nostris haud inutilem me facturum existimavi; si Latinum Breviarium, quale Romanis concinnarat Augustus, conscriberem; in quo Augustum etiam in hoc aemulari visus, Res a se praeclare gestas, egregiaque in totam Lusitanam Gentem Merita, quasi aeneis vel marmoreis Tabulis ad perpetuitatem et perennitatem Nominis sui incidenda Rex noster exponeret. Tale autem est, quod sequentibus Tabulis comprehensum legat, quisquis id genus Scriptis delectetur.

TABULA PRIMA.

ORDO RERUM GESTARUM, ET ELOGIUM MARCHIONIS POMBALIENSIS.

ANNO MDCCL. PRIDIE CALENDAS AUGUSTI, QUO DIE FATO CONCESSIT PATER, LUSITANUM ADEPTUS REGNUM, PRIMUM OMNIUM QUIDEM EO ANIMUM ADPLICUI: UT DISJECTIS FACTIONIBUS, QUIBUS FOEDE DISTRACTA ATQUE DISCERPTA ERAT AUCTORITAS REGIA, MAIESTATEM AC DIGNITATEM REGII NOMINIS IN SE COLLIGEREM, ET QUODAMMODO REDINTEGRAREM: DEINDE UT CLASSE ET EXERCITU COMPARATO, QUANTUM ET QUALEM LUSITANIA NUMQUAM VIDERAT, OMNIA IN TUTO PONEREM: DEINDE UT INTERNO EXTERNOQUE COMMERCIO PUBLICAS ET PRIVATAS OPES AUGEREM: DENIQUE UT TEMPESTIVIS LEGIBUS, OPTIMISQUE DISCIPLINIS, RUDES ET AGRESTES MORES AD CIVILITATEM ET MELIOREM FRUGEM REDUCEREM. IN HIS VERO OMNIBUS SIVE DECERNENDIS, SIVE ORDINANDIS, SIVE EXEQUENDIS, ADMINIS-

C TRO

TRO ATQUE ADJUTORE PRAECIPUO ET PENE SOLO USUS SUM SEBASTIANO JOSEPHO CARVALLIO DE MELLIO, SACRORUM SCRINIORUM MAGISTRO PRO REGNI NEGOTIIS. QUEM AB IPSO STATIM PRINCIPATUS EXORDIO VASTI ANIMI, PRUDENTISSIMI CONSILII, ET ACERRIMAE DEXTERITATIS EXPERTUS; AD HAEC UBI URGERENT NEGOTIA, VIGILIAE ET LABORIS SUPRA QUAM CREDI POTEST PATIENTISSIMUM; TUM VERO SINGULARIS IN ME OBSERVANTIAE ET IMMOBILIS FIDEI: PRIMUM QUIDEM COMITEM OERIENSEM, MAGISTRORUMQUE AB SCRINIIS SACRIS PRINCIPEM; DEINDE MARCHIONEM POMBALIENSEM CREAVI: IN HIS VERO QUAE AD AERARII ET CONIMBRICENSIS ACADEMIAE ADMINISTRATIONEM PERTINENT, VICARIUM ETIAM MEUM SUMMO ABSOLUTOQUE IMPERIO.

TABULA SECUNDA.

POLITICA ET DOMESTICA.

ANNO REGNI NONO FERE INEUNTE, DYNASTARUM TRIUM INSIDIIS ADPETITUS, MANIFESTOQUE NUMINIS BENEFICIO CONSER-

SERVATUS, SAEVISSIMO ATQUE IGNOMINIOSISSIMO IN EOS SUPPLICII GENERE PRO DELICTI ATROCITATE ANIMADVERTI JUSSI. JESUITAS OMNIUM FLAGITIORUM DEDECORE COOPERTOS, AD EXTREMUM AUTEM DE CONJURATIONIS SOCIETATE CONVICTOS, PULSOS REGNO IN ITALIAM ABEGI. IPSORUM ORDO UT PENITUS DE CHRISTIANA ECCLESIA EVELLERETUR, PRIMUS A ROMANO PONTIFICE ENIXISSIME POSTULAVI.

QUUMQUE JESUITARUM DELUSUS PRAESTIGIIS EO USQUE PROCESSISSET CLEMENS DECIMUSTERTIUS, UT TALEM EXTINGUI ORDINEM PASSURUM SE UMQUAM, PALAM ET SAEPE NEGARIT; INSUPER FRANCISCUM ALMADICUM DE MENDOCIA EA, QUAE AD TANTUM CONFICIENDUM NEGOTIUM PERTINEBANT, IMPIGRE MEO NOMINE URGENTEM NON PRO DIGNITATE REGII ORATORIS HABUERIT: COACTUS INJURIAS PROPULSARE, QUIBUS REGIA AUCTORITAS PETEBATUR, PHILIPPUM CARDINALEM ACCIAOLIUM LEGATUM EJUS DE LUSITANIA EXPULI. EODEM ANIMATUS SPIRITU SUBDITIS MEIS OMNIBUS CONVICTU ET COMMERCIO ROMANORUM PENITUS INTERDIXI. BULLAM COENAE, QUAM VOCABANT, IN-

INDICEMQUE LIBRORUM PROHIBITORUM, TAMQUAM REGIIS JURIBUS INSULTANTES, IN PERPETUUM REJECI. NOVAM REGIORUM CENSORUM CURIAM OLISIPONE INSTITUI, CUI ILLUD PRAESERTIM CURAE ESSET, UT SUPPRESSIS LIBRIS PRAVAE NOXIAEQUE DOCTRINAE, II TANTUM IN LUSITANIA LEGERENTUR, QUI ET MORIBUS UTILES, ET RELIGIONI AC REIPUBLICAE PRAESIDIO FORENT. NE AUTEM SUB EO RERUM STATU NECESSARIIS CARERET GREX CHRISTI, EPISCOPOS LUSITANOS PRO ABSOLUTA ET SUPREMA ILLA POTESTATE, QUAE IPSORUM ORDINI DIVINO JURE EST ADNEXA; TUM MATRIMONIORUM INTER SE CELEBRANDORUM CONSANGUINEIS ET ADFINIBUS GRATIAM FACERE; TUM CETERA OMNIA ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE CAPITA PLENISSIME ADMINISTRARE PERMISI.

INTERIM OBLATAS A ROMANIS CONDITIONES PACIS MULTAS ET VARIAS, TAMQUAM INHONESTAS ET INIQUAS, PER ANNOS OCTO CONSTANTER RESPUI: DONEC CLEMENTE DECIMOTERTIO VITA FUNCTO, SAPIENTER A SUCCESSORE EJUS CLEMENTE DECIMOQUARTO RESARTA VETUS SCISSURA EST; PRIMUM QUIDEM MISSO IN LUSI-

TA-

TANIAM TAMQUAM PACIS SEQUESTRO PONTIFICIO LEGATO INNOCENTIO DE COMITIBUS; DEINDE GRAVISSIMA CONSTITUTIONE EDITA DE JESUITARUM ORDINE PENITUS ABOLENDO ET EXTIRPANDO. QUAM CONSTITUTIONEM AB INCLITIS QUOQUE GALLIAE, HISPANIAE, ET UTRIUSQUE SICILIAE REGIBUS, COMMUNI EFFLAGITATIONE VEHEMENTER ETIAM ATQUE ETIAM EXPETITAM; INCREDIBILE DICTU EST, QUANTA LAETITIA, QUANTOQUE OMNIUM ORDINUM PLAUSU EXCEPERIT LUSITANIA.

ANNO MDCCLIX. SANCTIUS CONSILIUM, QUO PUBLICA NEGOTIA EXTRA ORDINEM REFERRI SOLENT, DIU QUIDEM APUD NOS INTERMISSUM ET PENE NEGLECTUM, DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS RESTITUENDUM RATUS, QUINQUE OMNINO EO ADLEGI: FRANCISCUM DE SALDANIA PATRIARCHAM OLISIPONENSEM; JOANNEM COSMAM ARCHIEPISCOPUM EBORENSEM; JOANNEM INFANTIS FRANCISCI PATRUI MEI FILIUM; JOANNEM EMMANUELEM DE NORONIA MARCHIONEM TANCENSEM; JOSEPHUM ANTONIUM LUPUM BARONEM COMITEM ORIOLANUM. MAGISTROS VERO SACRORUM SCRINIORUM, UBI IN SANCTIUS CONSILIUM

D CON-

CONVENISSENT, SEDENDI HONORE ET SUFFRAGII JURE ORNAVI.

QUUM AD ANNUM AETATIS QUADRAGESIMUM SEPTIMUM MASCULAM PROLEM EX REGINA CARISSIMA CONJUGE MARIA ANNA VICTORIA NULLAM SUSCEPISSEM; MARIAM BRASILIAE PRINCIPEM QUATUOR FILIARUM MAXIMAM, DIE NATALI MEO VIII. IDUS JUNII, ANNO MDCCLX. INFANTI PETRO FRATRI MEO DESPONDI. EX QUO MATRIMONIO QUUM ANNO SEQUENTI XII. CALENDAS SEPTEMBRIS PRIMUS MIHI NATUS NEPOS ESSET JOSEPHUS; HUNC PRINCIPIS BERIENSIS TITULO ORNATUM, SEPTENNEM CULTISSIMIS AC PROBATISSIMIS MORIBUS INFORMANDUM TRADIDI EMMANUELI A COENACULO VILLABOANO, FRANCISCANORUM TERTII ORDINIS MODERATORI.

INTEREA EX PATRICIIS NOVOS VICE-COMITES CREAVI DUOS: MESQUITELLENSEM ANTONIUM SOSANUM DE MACEDO; VILLANOVANUM A CASTANETO REGIO FRANCISCUM ALMADICUM DE MENDOCIA. NOVOS COMITES CREAVI DECEM: RESENDIANUM ANTONIUM JOSEPHUM CASTRIUM; BOBADELLANUM GOMESIUM FRERIUM ANDRADIUM; ALBANUM LUDOVICUM MASCARENI-

NIAM ; LUMIARENSEM CAROLUM CARNERIUM DE SOSA ; EGANUM EMMANUELEM DE SALDANIA ALBUQUERQUIUM ; CUNIANUM ANTONIUM ALVARESIUM A CUNIA; SAN-PELAGIANUM ANTONIUM A SANCTO PELAGIO DE MELLO CASTRIUM ; OERIENSEM SEBASTIANUM JOSEPHUM CARVALLIUM DE MELLO ; AZAMBUJENSEM ANTONIUM ROLLINUM MAURANUM ; LOSAMICUM JOANNEM ALENCASTRIUM. ASSECANUM VERO VICE-COMITEM MARTINUM CORREAM SADIUM , TITULO IPSO RETENTO , COMITIBUS HONORE ET PRAEROGATIVIS AEQUAVI. NOVOS MARCHIONES CREAVI QUATUOR : TANCENSEM JOANNEM EMMANUELEM DE NORONIA ; ALVITENSEM JOSEPHUM ANTONIUM LUPUM ; CASTEL-MELIORENSEM JOSEPHUM VASCONCELLIUM DE SOSA ; POMBALICUM SEBASTIANUM JOSEPHUM CARVALLIUM DE MELLO. DUCIS TITULO ET HONORIBUS UNUM ORNAVI JOANNEM CAROLUM BRIGANTINUM , LAFONIENSIS DUCIS MINOREM FRATREM.

MULTOS ETIAM DE PLEBE OPTIME DE ME AC DE REPUBLICA MERITOS NON SOLUM NATALIBUS RESTITUI , SED ETIAM AD SENATORIUM EVEXI ORDINEM : IN HIS JO-

SE-

SEPHUM FRANCISCUM A CRUCE ALAGOANUM, ET EJUS FRATREM JOACHIMUM IGNATIUM A CRUCE SOVERALLIUM.

TABULA TERTIA.

BELLICA ET MILITARIA.

BELLUM SEMEL OMNINO GESSI, ET QUIDEM PROVOCATUS, ANNO MDCCLXII. QUO IN BELLO QUUM COLLECTO EX LUSITANIS ET FOEDERATIS ANGLIS EXERCITUI IMPERATOREM PRAEFECISSEM SUMMO IMPERIO COMITEM LIPPENSEM, MILITARI GLORIA IN GERMANIA CLARISSIMUM; TANTUM QUIDEM SUB EJUS DUCTU PROFECIT DIU ALIAS INEXERCITATUS MILES, UT MAIORI DAMNO BELLUM FUERIT INFERENTIBUS, QUAM PROPULSANTIBUS. ITAQUE DECIMO MENSE, QUAM IN LUSITANIAM INVASERANT, PACEM HISPANI AB EO PETERE SUNT COACTI, QUAM ULTRO SUPERIORI ANNO CONSTANTEM ABRUPISSENT.

REBUS ITA COMPOSITIS, QUAE PRAECEPTA DE RE AC DISCIPLINA MILITARI JUSSU MEO CONSCRIPSERAT LIPPENSIS COMES, EA TYPIS COMMISSA OBSERVARI IN

POS-

POSTERUM JUSSI. NUMERUM LEGIONUM ITA MULTIPLICAVI, UT SUBINDE DIMISSIS, QUI PRAE MORBO VEL AETATE MINUS VALERENT, LECTISSIMUS SEMPER IPSO PACIS TEMPORE IN PROMPTU ESSET EXERCITUS TRIGINTA ARMATORUM MILLIUM; QUOD AD MEMORIAM AETATIS MEAE NUMQUAM IN LUSITANIA VISUM FUERAT. SINGULIS VERO LEGIONIBUS CERTA OPPIDA, UNDE PRO TEMPORE SCRIBENDA SUPPLEMENTA ESSENT, ADSIGNAVI. STUDIUM REI TORMENTARIAE BELLORUM DESUETUDINE PENE EXTINCTUM RESTITUI. AERARIAM OFFICINAM PRO OMNI ARMORUM GENERE FABRICANDO, QUAM CONDIDERAT PATER, PLUSQUAM QUADRUPLO AMPLIAVI. BARTHOLOMAEUM COSTIUM LUSITANUM, QUOD ET NOVAM TORMENTORUM PERFORANDORUM RATIONEM INVENERAT, ET ME MIRA ARTE AC FELICITATE EX AERE FUDERAT, SPLENDIDISSIMIS MILITIAE INSIGNIBUS ET DUPLICI STIPENDIO HONESTAVI.

MILITI STIPENDIUM AUXI. OLISIPONEM VALIDIORI EQUITUM AC PEDITUM PRAESIDIO CINXI. ARCEM ELVENSEM NOVO MUNIVI PROPUGNACULO. CLASSEM QUOQUE,

QUANTAM SUPERIORES REGES NUMQUAM AEDIFICARANT, COMPARAVI. NAVIGATIONEM OMNIBUS MODIS PROMOVI.

BRASILIAM MISSIS EO EXERCITATISSIMIS COPIIS TUTIOREM AB EXTERORUM INCURSIONIBUS REDDIDI: MISSIS CIVIUM COLONIIS AD CULTURAM AGRORUM INFLAMMAVI. RES ASIANAS NOVA CIVILIUM ET MILITARIUM ADMINISTRATIONE PRAESCRIPTA, AD MELIOREM STATUM REDUXI. ARCEM MAZAGAMICAM IN AFRICA, VITIORUM OMNIUM SENTINAM; MUTUI ATQUE INTERNECINI ODII GRAVEM CAUSAM A MULTIS RETRO TEMPORIBUS EXISTENTEM; AC PROINDE IMPENSAE MAGIS QUAM GLORIAE PER DUO SAECULA CONSERVATAM, ULTRO PENITUS EVERTI. PERCUSSO DEINDE CUM MAROCHIANIS FOEDERE, MARE A PRAEDONIBUS PACAVI.

TABULA QUARTA.

COMMERCIUM ET RES NEGOTIALIS.

COMMERCIO ADMINISTRANDO NOVUM COLLEGIUM NEGOTIATORUM PRAEFECI: PROPAGANDO NEGOTIALES SOCIETATES INSTI-

STITUI QUATUOR. PRIMAM OMNIUM PARAHENSEM ET MARANONIAM ANNO MDCCLV. IN QUAM JESUITARUM INSTINCTU VERBO ET SCRIPTO TEMERE INVECTOS QUOSDAM, ASPERRIME INCREPITOS EXILIO MULTAVI. ALTERAM PORTUCALENSEM PRO VINIS DURII SUPERIORIS ANNO MDCCLVI. IN QUAM QUUM ETIAM JESUITIS AGENTIBUS GRAVITER TUMULTUATA FUISSET PLEBECULA, MISSO QUI IN SEDITIOSOS INQUIRERET JOANNE PACCECO PERERIA SENATORE PALATINO, MULTOS VERBERIBUS ET EXILIO, MULTOS CAPITALI SUPPLICIO ADFECI. TERTIAM PERNAMBUCANAM ANNO MDCCLVII. QUARTAM PISCARIAM IN ALGARBIIS ANNO MDCCLXXIII.

AD HAEC COMMERCIUM ANGOLANUM NEGLIGENTIA ET AVARITIA PRAEFECTORUM MISERE LABEFACTATUM DENUO ORDINAVI. ONERARIIS AD QUAESTUM NAVIBUS LIBERUM COMMEATUM QUAVIS ANNI TEMPESTATE ESSE JUSSI. NEGOTIATORUM ORDINEM, NE IN SORDIDIS HABERETUR MERCATURA, VARIIS INGENUITATIS INSIGNIBUS ET AMPLISSIMIS PRIVILEGIIS HONESTAVI. QUOSDAM EX HIS ETIAM TOPARCHIIS ET ARCIUM PRAEFECTURIS SPLENDIDISSIMIS

MIS AUXI. COMMERCII PROVEHENDI CAUSA PORTORIA IMMINUI. COLLEGIO NEGOTIATORUM PUBLICUM LUDUM ARITHMETICUM ; SENATUI URBANO PUBLICUM DEPOSITUM ADNEXUI.

PRAETEREA OFFICINAS BOMBYCINORUM , LANIFICIORUM , LINEORUM , LEPORINORUM , VITREORUM , TESTACEORUM , FERRAMENTORUM , MULTAS OLISIPONE , CAVEAE JULIANAE , PORTALEGRII , NABANTIAE , POMBALII , ALCOBASSAE , ET ALIBI CONSTITUI. PEREGRINIS MERCIBUS MODUM IMPOSUI. AURI ATQUE ADAMANTIUM FODINIS , EXTREMO PATRIS PRINCIPATU EXACTIONUM SAEVITIA ET COLONORUM DESERTIONE NIMIUM QUANTUM ATTENUATIS , PRAESENTANEAM ATQUE EFFICACEM OPEM TULI. SACCHARI ET TABACCI TUM CULTURAM , TUM DISTRACTIONEM , TEMPESTIVIS PROVIDENTIIS MULTO FACILIOREM AC QUAESTUOSIOREM REDDIDI. LEGE DE ERADICANDIS CISTAGANIS VINETIS , ET ALTERA DE COLENDIS TRANSTAGANIS LATIFUNDIIS , REM FRUMENTARIAM MIRE PROMOVI.

SED ET URBANORUM AC PROVINCIALIUM QUAESTORUM MALE FIDAM ADMINI-

STRA-

STRATIONEM PERTAESUS, REGIAM GAZAM OMNEM ROMANO MORE, ET NOVO IN LUSITANIA EXEMPLO, UNUM IN AERARIUM CONTULI. HUJUS SUPREMA PRAEFECTURA PRIMUM OMNIUM ORNAVI COMITEM OERIENSEM, SEBASTIANUM JOSEPHUM CARVALLIUM DE MELLO: CUJUS ETIAM OPERA RATIONEM ACCEPTI ET EXPENSI IN CODICES REFERENDI MULTO ADCURATIOREM AC TUTIOREM, QUAM QUAE ANTEA OBTINEBAT, IN AERARIUM IPSUM INVEXI.

TABULA QUINTA.

LEGES, STUDIA, ARTES.

LEGIBUS NOVIS LATIS EXOLESCENTIA ANTIQUIORUM REGUM INSTITUTA REVOCAVI, ET FUGIENTIA JAM EX NOSTRO CONSPECTU BEATORUM TEMPORUM EXEMPLA IMITANDA PROPOSUI. QUAECUMQUE HIS CONTRARIA SIVE IN MORES, SIVE IN FORUM DEGENER AETAS SUBSECUTA INVEXERAT, PARTIM CORREXI, PARTIM SUSTULI. ET LEGIBUS QUIDEM DE VERA ET SOLIDA RATIONE INTERPRETANDARUM LEGUM; DE GENUINO EARUM SENSU PER SENATUS-

CONSULTA DETERMINANDO; DEQUE ROMANO JURE IN SUBSIDIUM TANTUM ADHIBENDO; PATRIAM JURISPRUDENTIAM FIXI. LEGIBUS SUMPTUARIIS LUXUM SPONSALITIAE SUPELLECTILIS, ET COENARUM NIMIAM LAUTITIAM IN NUPTIIS COARCTAVI: RHEDA INSIGNIORI ALIA, QUAM DUOBUS EQUIS JUNCTA, VEHI QUEMQUAM PROHIBUI. LEGIBUS VERO TESTAMENTARIIS IMMODICAS DONATIONES AD CERTAM CONTRAXI SUMMAM: PIORUM LEGATORUM ABUSUM ET FRAUDEM COMPRESSI: CLERICORUM ET MONACHORUM AVARITIAE FIBULAM IMPOSUI: LAICORUM TENUES FORTUNAS MULTUM JUVI. ALIA PRAETEREA MULTA SANXI DE MONASTERIIS VIRORUM AC FOEMINARUM SUPRA MODUM MULTIPLICATIS IMMINUENDIS; DE SPONSALIBUS RITE CELEBRANDIS; DE INDIS ET AETHIOPIBUS SERVIS IN LIBERTATEM ADSERENDIS; DE HIS QUI HEBRAEI GENERIS VANIS RUMORIBUS TRADUCEBANTUR, AD CIVILIA OFFICIA ET ECCLESIASTICOS GRADUS ADMITTENDIS; DE FAMILIIS PATRITIIS NULLO INTER SE DISCRIMINE MARITANDIS.

QUINETIAM PRO CONTINENDIS IN OFFICIO CIVIBUS, TUENDAQUE PUBLICA TRAN-

QUIL-

QUILLITATE ET HONESTATE, GENERALEM POLITIAE CURATOREM CREAVI: BETHLEHEMITICAE REGIONI NOVUM PRAETOREM DEDI: CASCALIIS, AZEITAMO, MOUTAE, VILLAE VETERI, TERENAE, BARCAE, INSIGNIBUS OPPIDIS, FORANEOS QUOS VOCANT JUDICES PRAEFECI.

SUPREMA PRAETORIA ET SUPREMAS CURIAS SAEPE SAEPIUS LEGI. EO QUEMQUAM ADSCISCI, ADSCITUMVE MAGISTRATU FUNGI, NISI INTEGRIS MORIBUS ET ILLIBATAE FAMAE, NUMQUAM PASSUS SUM. SENATUM ETIAM OLISIPONENSEM, IN QUEM VETERI ET PESSIMO INSTITUTO NON ALII FERE COOPTARI SOLEBANT, QUAM QUOS IN PRAETORIIS JURI DICUNDO MINUS IDONEOS EXPERIENTIA DEMONSTRASSET, SIC TANDEM ORDINAVI; UT STATA LEGE SINGULIS TRIENNIIS URBANA IN SENATU TRACTARE JUSSERIM QUATUOR EX HIS, QUI IN PRAETORIO INVENIRENTUR OMNIUM JUNIORES.

PRAEFECTOS ET MAGISTRATUS QUOSLIBET REPETUNDARUM REOS SEVERISSIME PUNIVI. LARGITIONIBUS CORRUPTOS IGNOMINIA ETIAM NOTAVI. ROMANAS LEGES PATRIIS LEGIBUS ANCILLARI, NON DOMI-

NA-

NARI PRAECEPI. JURA REGIA, RECEPTASQUE IN LUSITANIA CONSUETUDINES LEGITIMAS, NE PRAETEXTU QUIDEM RELIGIONIS VIOLARI A QUOQUAM PERMISI.

NOTA MIHI AETATIS MEAE INGENIA OMNIA MODIS OMNIBUS FOVI. ARTES ET DISCIPLINAS OMNES, EAS PRAESERTIM, QUIBUS AD HUMANITATEM ET CIVILEM VITAM INFORMANTUR SUBDITI, INSTAURANDAS ET PUBLICE TRADENDAS PRO VIRILI CURAVI. EO CONSILIO PLENISSIMAM ATQUE ELABORATISSIMAM STUDIORUM RATIONEM ACADEMIAE CONIMBRICENSI PRAESCRIPSI. EO ACADEMIAM IPSAM, COLLEGIUMQUE NOBILIUM ADOLESCENTUM OLISIPONE IN AGRO COTOVIENSI A ME CONDITUM, AMPLISSIMIS REDITIBUS LOCUPLETAVI. EO REGIAM CURIAM CENSORIAM TOTI REI LIBRARIAE, UNIVERSISQUE MINORIBUS SCHOLIS PRAEPOSUI. EO HUMANIORUM LITTERARUM PUBLICOS PROFESSORES SUPRA OCTINGENTOS PER TOTAM LUSITANIAM ET COLONIAS TRANSMARINAS CREAVI. EO NOVUM COETUM ALIUM A LITTERARIO SUBSIDIO DICTUM INSTITUI, QUI PECUNIAM HIS ALENDIS DESTINATAM, VIRITIMQUE PRO HONORARIIS COLLIGENDAM DE VINIS

ET

ET CARNIBUS, CURATISSIME ADMINISTRARET. EO DENIQUE PUBLICA GYMNASIA PRO ARTE DELINEANDI ET ARCHITECTANDI, PRO SCULPTURA, PLASTICA, ET STATUARIA, OLISIPONE APERIRI JUSSI.

TABULA SEXTA.

OPERA PUBLICA.

OLISIPONEM CALENDIS NOVEMBRIBUS, ANNO MDCCLV. IMMANISSIMO POST HOMINUM MEMORIAM TERRAEMOTU PENITUS FERE EXCISAM, ET SECUTO E VESTIGIO INCENDIO VORACISSIMO MAXIMA EX PARTE ABSUMPTAM; INTRA QUINDECIM ANNOS, PARTIM IMPENSA MEA, PARTIM PRIVATORUM, QUOS AD PATRIAE INSTAURATIONEM STRENUE ADGREDIENDAM ET PROSEQUENDAM GRATIIS, HONORIBUS, ET PRAEMIIS INFLAMMARAM; NON SINE MAXIMA ANIMI EXULTATIONE ET PARI GLORIAE SENSU, PROXIMIS HIS DIEBUS RESTITUTAM VIDI; ET QUIDEM MULTO ELEGANTIOREM AC SPLENDIDIOREM, QUAM ANTEA FUERAT; MULTO ETIAM PATENTIOREM, ADSCENSUQUE ET DESCENSU FACILIOREM, QUAM PA-

TI POSSE VIDEBATUR URBS CIVIUM FREQUENTIA IN PAUCIS CONFERTISSIMA, ET MAXIMA EX PARTE COLLIBUS IMPOSITA.

QUAE AUTEM MEA IMPENSA FECI, HAEC SUNT OPERA. IN REGIO FORO NEGOTIALI, OMNIUM SANE QUAE IN EUROPA CELEBRANTUR PULCHERRIMO, AB ORIENTE AMPLISSIMA DOMUS EXIGENDIS PORTORIIS DESTINATA: AB OCCIDENTE ARMAMENTARIUM VASTAE MOLIS, HUICQUE ADNEXAE CURIAE TRES, ET BIBLIOTHECA PUBLICA: A SEPTENTRIONE PRAETORIUM SUPREMUM, COLLEGIUM NEGOTIATORUM, ET SENATUS URBICUS. MEDIUS HIS ARCUS MAGNIFICUS, COLUMNIS MARMOREIS TRIBUS UTRINQUE SUBNIXUS, PER QUEM A PLATEA AUGUSTA FORUM IPSUM ADITUR. AD SANCTUM PAULUM ARCUS ALTER AEQUE NOBILIS, QUO VELUT PONTE SUPERIOR URBIS REGIO TAGO COMMITTITUR. IN FORO DEPOSITI PUBLICI CIPPUS CAPITALIS MARMOREUS SPIRARUM SCULPTURA IN PRIMIS ELEGANS. AD VETUS FORUM PISCARIUM HORREUM PUBLICUM. AD SANCTUM LAZARUM VALETUDINARIUM PUBLICUM, MAXIMA QUAEQUE PALATIA AMPLITUDINE AC SPLENDORE SUPERANS. DUCTAE HINC PAULLO IN-

INFERIUS ARCUATO OPERE AD TAGUM USQUE OCCULTAE CORRIVATIONES, SUBTER QUIDEM PER MILLIARE ET AMPLIUS NAVIGABILI ET PENSILI URBE. AD SANCTUM ROCHUM DOMUS VIRGINUM PAUPERIORUM, UBI JESUITARUM ERAT PROFESSA DOMUS. IN AGRO COTOVIENSI COLLEGIUM NOBILIUM ADOLESCENTUM, JESUITARUM IPSORUM TIROCINIO SUBROGATUM. IN FORO DOMINICANO CURIA FIDEI, EIQUE PROXIMA IN VALLE AMOENISSIMA PUBLICA AMBULATIO. IN PLATEA, QUAE FORMOSA ADPELLATUR, AD PALATIUM MARCHIONIS POMBALIENSIS SCALARIA SUMPTUOSA ET MAGNIFICA, PER QUAE AD SUPERIOREM REGIONEM EDITISSIMAM, FACILLIMA GRADUUM RETRACTIONE BIGIS ETIAM VECTUS ADSCENDAT QUISPIAM.

AD HAEC URBEM ANTEA CONFERTISSIMAM ET CONFUSISSIMAM NOVIS ADDITIS FORIS PASSIM DISCRIMINAVI, INSULISQUE DISTINXI. FORUM BOARIUM VETUS, QUOD HODIE SANCTAE ANNAE DICITUR, AEQUATO SOLO LATIUS ET PULCHRIUS REDDIDI. FORUM PISCARIUM ET FORUM OLITORIUM IN COMMODIOREM LOCUM TRANSTULI. ORAM MARITIMAM NOBILI LORICA ET MULTI-

TI-

TIPLICI CREPIDINE ORNAVI. NAVALE AD OERIAS SEXTO AB URBE MILLIARIO, UBI MAXIME SAEVIEBAT MARE, TUTISSIMUM ET APRICISSIMUM EXTRUXI. PHARIS DUABUS EDITISSIMIS ET FLAGRANTISSIMIS, NE IN OBVIOS SCOPULOS NOCTU IMPINGERENT NAVES, TAGI OSTIUM ILLUMINAVI.

VIAS PUBLICAS INTRA URBEM ET IN SUBURBANIS PARTIM CORRUPTAS REFECI, PARTIM NOVAS APERUI. EAS VERO, QUAE AD OERIAS, AD CASCALIOS, AD COLLARIOS DUCUNT, ANTEA NIMIUM DIFFICILES ET PRAECIPITIIS INFAMES; ALIBI QUIDEM DISRUPTIS PETRIS, ALIBI CONSTRATIS MONTIBUS SIC MUNIVI; UT HAC ILLAC EXPEDITE ET SINE ULLO PERICULO CONFICERE ITER POSSIT VEL MAXIMUS EXERCITUS.

AQUAM QUAE ADPELLATUR LIBERA, NOVO FONTE IN RIVOS EJUS IMMISSO DUPLICAVI. EJUSDEM AQUAE DUCTUM COMPLURIBUS IN LOCIS VITIOSUM EMENDAVI; ELUVIONIBUS SORDIDUM EXPURGAVI NON SEMEL. AQUAM EANDEM A PATRE MEO INCREDIBILI LABORE, NEC MINORI IMPENSA PER SENA MILLIARIA ET AMPLIUS CORRIVATAM, SED VIX ULTRA SUBURBANA PER-

DU-

DUCTAM, IN MEDIAM URBEM IMMISI. SUMPTUOSOS PONTES MULTIS AMNIBUS IMPOSUI. IN HIS ETIAM CONFLUENTEM AD ALCANTARAM, HIBERNO TEMPORE NON MINUS CIVIBUS, QUAM VILLIS ET MURIS INCOMMODUM; DEPRESSO AC DILATATO ALVEO, DUCTAQUE AD MARE PRAEALTA FOSSA, AMPLIUS EXUNDARE PROHIBUI. PROXIMUM LACUM, COENOSIS E SALO AQUIS PER AESTATEM ODORIS TETRI, ET VAPORIBUS MALIGNIS; INJECTA DESUPER MAGNA VI RUDERUM ET CAEMENTORUM EXSICCAVI.

AD EXTREMUM NEQUID PRORSUS ME IMPERANTE LUSITANIAE DEESSET AUT DECORIS, AUT ORNAMENTI; URBES EJUS DUAS, PACEM-JULIAM IN TRANSTAGANIS ET BRIGANTIAM IN TRANSMONTANIS, EPISCOPALI THRONO AUXI: INSIGNIA EJUS OPPIDA QUINQUE, PENAFIELLAM IN PROVINCIA INTERAMNENSI; AVERIUM, PINHELLUM, ET CASTRUM-ALBUM IN PROVINCIA BEIRANA; PORTUM-ANNIBALIS IN ALGARBIIS; TUM URBIUM HONORE, TUM PONTIFICALI SEDE NOBILITAVI.

OB TANTA HAEC, TAMQUE PRAECLARA OPERA AC BENEFICIA, QUIBUS NON OLISIPONEM SOLUM, SED TOTAM ETIAM

LUSITANIAM DEMERUISSEM ; CENSUIT SENATUS POPULUSQUE OLISIPONENSIS CUM COLLEGIO NEGOTIATORUM : PONENDAM MIHI IN REGIO FORO NEGOTIATI STATUAM EX AERE EQUESTREM COLOSSICAE FORMAE THORACATAM , CRISTATAM , ET LAUREATAM : INCIDENDAM IN BASI EJUS LATINAM INSCRIPTIONEM, QUAE SUMMAM COMPLECTERETUR RERUM MEARUM : DIE NATALI MEO VIII. IDUS JUNIAS , ANNO MDCCLXXV. FRENQUENTISSIMO OMNIUM ORDINUM CONVENTU ADORATIONEQUE , ET MILITARIBUS HONORIBUS INAUGURANDAM STATUAM IPSAM : POSTERO DIE POST LAETA EPINICIA A SELECTISSIMIS MUSICORUM CANTATA , ET POST CHOREAS MATRONARUM PRIMARIARUM , DANDUM IN PRYTANEO EPULUM OPTIMATIBUS ET SENATORIBUS : DIE TERTIO POST IMMISSOS IN FORUM CURRUS TRIUMPHALES SEPTEM , ET POST SALTATIONEM VIRGINUM URBANARUM , DANDUM NEGOTIATORIBUS EPULUM IN COLLEGIO IPSORUM : POPULO AUTEM IN COLLEGIO FABRUM : TRIBUS ILLIS NOCTIBUS ILLUMINANDAM FUNALIBUS TOTAM URBEM : HONORIS ET MEMORIAE ERGO PLURIMOS CUDENDOS AUREOS , ARGENTE-

TEOS, ET AEREOS NUMMOS EFIGRAMMATE HOC INSCRIPTOS: MAGNANIMO RESTITUTORI OLISIPO POST FATA RESURGENS.

QUONIAM VERO QUIDQUID IN REPUBLICA VEL MAGNIFICE GESSERAM, VEL SALUBRITER INSTITUERAM; TOTUM ID POMBALIENSI MARCHIONE CONSILIARIO ATQUE ADMINISTRO PERFECISSEM: EJUS ETIAM AEREAM EFFIGIEM CUM CAESARIE ET TORQUE, STATUAE MEAE THRONO INSCULPI, SENATU POPULOQUE IPSO OLISIPONENSI CUM NEGOTIATORUM COLLEGIO DECERNENTE, NON SOLUM PROBAVI, SED ETIAM LAUDAVI.

QEAE OMNIA ITA UTI DECRETA ERANT, CURANTE HENRICO JOSEPHO CARVALLIO DE MELLO COMITE OERIENSI, SENATUS URBANI PRAESIDE, ET MARCHIONIS POMBALIENSIS FILIO, EO ADPARATU EAQUE MAGNIFICENTIA DISPOSITA SUNT, ATQUE IN EXECUTIONEM MISSA; UT CELEBRITATE ILLA NIHIL AD HODIERNAM DIEM PULCHRIUS, NIHIL SPLENDIDIUS, NIHIL SUMPTUOSIUS VIDERIT LUSITANIA.

NO-

NOTAE AD SINGULAS TABULAS STATUAE VOCALIS.

Quemadmodum Rerum ab Augusto Gestarum Monumentum Ancyranum Commentariis suis illustrarunt summi in Republica Litteraria viri, Justus Lipsius, Isaacus Casaubonus, Joannes Fridericus Gronovius, atque Edmundus Chishullus: (nam ante publicatum Tournefortianum Exemplar, multo antiquiora alia nota erant, quamquam non ita integra, neque ita emendata:) Ita nostrum hocce ad instar illius efformatum Breviarium Rerum Gestarum Josephi Magnanimi Lusitanorum Regis, paucis et selectis Notis illustrare, visum nobis est operae pretium; praesertim ad ea capita, ubi maximi Regis sive Instituta, sive Opera, antiquorum Romanorum comparatione magis elucent.

NOTAE AD TABULAM PRIMAM.

Versu 7. *Maiestatem ac dignitatem regii nominis in se collige-rem.*) Dici de nostro Principe non minus vere, quam eleganter potest, quod de Vespasiano scripsit Suetonius: *Incertum diu et quasi vagum imperium suscepit tandem, firmavitque.* Nisi quod ante Vespasianum vacillasse ac nutasse imperium dicitur *Rebellione trium Principum*, Galbae videlicet, Othonis, et Vitelii: ante Josephum vero nostrum vacillabat et nutabat Regnum Factionibus Aulicorum.

Versu 17. *Ad civilitatem et meliorem frugem reducerem.*) Civilitas in Republica et Societate humana virtus praecipua in eo consistit, ut mutua nobis officia alter alteri praestemus, tamquam unius atque ejusdem corporis membra. Quare needum in privato homine, sed vel in Principe ipso civilitatem maxime laudandam docent Politici Scriptores. Laudant certe in Augusto Suetonius; in Trajano Plinius; in Antonino Pio Capitolinus; in Alexandro Severo Lampridius.

Versu 23. *Sacrorum Scriniorum Magistro.*) Sic ex more antiquae Aulae Romanae vocat eum, quem hodie a *Sanctioribus Arcanis* vulgo dicimus. Et ante tempora quidem Joannis Regis V. unus tantum erat a *Sanctioribus Arcanis.* Extremo autem Principatu suo tres ille esse voluit pro triplici Negotiorum Publicorum Classe; unum pro Domesticis Regni; alterum pro Maritimis; tertium pro Exteris et Bellicis.

Ceterum quos hodie a *Sanctioribus Arcanis* dicimus, ii ſub antiquis Imperatoribus *Magiſtri Scriniorum Sacrorum* vocabantur. Et ſicut pro quadruplici Claſſe Negotiorum, quae ad Principem referebantur, quatuor erant Scriniorum genera; (*Scrinia Palatina*, et *Scrinia Auguſta* vocat Symmachus Lib. x. Epiſt. 34. et 46.) ita quatuor erant Magiſtri *Scriniorum Sacrorum*; unus ab Epiſtulis, alter a Libellis, tertius a Memoria, quartus a Diſpoſitionibus, qui et *Comes Diſpoſitionum* dicebatur, quemadmodum et eorum ſinguli *Principes Scriniorum.*

De his vero frequens occurrit mentio, tum apud Scriptores Hiſtoriae Auguſtae, ut apud Spartianum in Aelio Vero cap. 8. et apud Lampridium in Alexandro Severo cap. 26. Tum in Codice Juris Civilis Tit. *De Magiſtris Sacrorum Scriniorum*, et Tit. *De Proximis Sacrorum Scriniorum.*

Conſtat praeterea ampliſſimo et ſplendidiſſimo hoc Munere ſub Antoninis functos Ulpianum et Papinianum, duos illos Romanae Juriſprudentiae Principes; ad Praefecturam tandem Praetorii (qui Dignitatum omnium apex erat) inde fuiſſe evectos. Lege Spartianum in Peſcennio Nigro cap. 7. Lampridium in Alexandro Severo cap. 26. Salmaſium in Notis ad Lampridii Alexandrum cap. 32. Gutherium *De Officiis Domus Auguſtae*, Lib. III. cap. 3.

Verſu 28. *Ubi vero urgerent negotia.*) Tale quid de Maecenate obſervat Paterculus Lib. II. cap. 88. *Vir ubi res vigiliam exigeret, ſane exſomnis.*

Verſu 32. *Et immobilis fidei.*) Idem epitheton Statuae Vitelii Patris adſcriptum diſcimus ex Suetonio in Vitelio cap. 3. PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM.

Verſu 33. *Magiſtrorumque a Sacris Scriniis Principem.*) Magiſtri Scriniorum Sacrorum Intimum Conſiſtorium Ordinarium conſtituebant ſub Caeſaribus: unde et *Comites Conſiſtoriani* vocantur in Codicis peculiari Titulo. Lampridius in Alexandro Severo cap. 31. *Poſt meridianas horas ſubſcriptioni et lectioni Epiſtularum ſemper dedit operam, ita ut ab Epiſtulis et Libellis et a Memoria ſemper adſiſterent.* Hinc deſignaturus latine, quem nos patria lingua vulgo dicimus, *Primeiro Miniſtro do Gabinete*; non minus proprie, quam eleganter Primarium Adminiſtrum ſuum Secretioris Conſiſtorii Rex vocat *Magiſtrorum a Sacris Scriniis Principem.* Talis Alexandro Severo fuit Ulpianus, de quo rurſus Lampridius eodem capite: *Neque unquam ſolum quemquam, niſi Praefectum ſuum vidit Alexander, et quidem Ulpia-*

pia-

pianum, *ex Assessore semper suo*, *causa justitiae singularis. Quum autem alterum adhibuit*, *et Ulpianum rogari jussit.* Antea idem scripserat cap. 26. *Consiliarius Alexandri*, *et Magister Scriniorum fuisse perhibetur Ulpianus.* Et cap. 15. *Negotia et causas prius a Scriniorum Principibus*, *et doctissimis Jurisperitis*, *et sibi fidelibus*, *quorum primus tunc Ulpianus fuit* , *tractari ordinarique*, *atque ita referri ad se praecepit.*

Versu 38. *Vicarium etiam meum.*) *Sacra Vice* Aerarii et Academiae Administratorem alias diceres, ex phrasi antiquae Aulae Caesareae. Sic in Lege 16. Cod. Theodos. *De Appellationibus*, *Sacra Vice judicare* dicitur Praefectus Praetorii. Et in veteri Inscriptione apud Gutherium *De Officiis Domus Augustae* , Lib. I. cap. 25. JULIUS. NEMESIUS. NOMENTANUS. M. AURELI. IMP. SACRA. VICE. BAETICAM. GUBERN.

NOTAE AD TABULAM SECUNDAM.

VErsu 7. *Omnium flagitiorum dedecore coopertos.*) Sic Curionem *facinoribus coopertum* dixit Sallustius in Catilina. Alium *nefariis sceleribus coopertum* Cicero in Verrinis.

Versu 10. *In Italiam abegi.*) Proprium verbum, ubi quod nobis maxime est odiosum aut molestum, propellimus. Sic Ciceroni Lib. II. *De Oratore*, cap. 66. *Abigere muscas.* Suetonio in Caligula, cap. 26. *Fustibus omnes abigere.*

Versu 22. *Non pro dignitate Regii Oratoris habuerit.*) *Habere* hic est *tractare.* Terentius in Hecyra : *Numquam secus habui illam*, *ac si ex me nata esset.* Curtius de Alexandro Darii victore : *Virgines Regias tam sancte habuit.* Similiter *pro dignitate* idem est, ac prout alicujus dignitas postulat. Sic Suetonius in Augusto cap. 38. *Urbem non pro dignitate ornatam* dixit. Sic vetus Lapis apud Gruterum CXLIX. 4. *Viam multis locis intermissam* PRO. DIGNITATE. IMPERII. P. R. *latiorem longioremque factam* commemorat. Sic vetus Inscriptio in Symmachi Praefecti honorem posita apud Juretum : PRO DIGNITATE TANTI ORDINIS MAGNITUDINEM LOCI EJUS IMPLEVERIT.

Versu 71. *Quo publica negotia extra ordinem referri solent.*) Publica Negotia, et Publica Consilia dicunt Latini, quae nos vulgo dicimus Negotia Status, et Consilia Status. Suetonius in Tiberio cap. 55. *Viginti sibi e numero Principum civitatis depoposcerat*, *veluti consiliarios*

in

in negotiis publicis. Augustus in Monumento Ancyrano: EX EO. DIE. QUO. DEDUCTI. SUNT. IN. FORUM. UT. INTERESSENT. CONSILIIS. PUBLICIS. DECREVIT. SENATUS. Loquitur de duobus Nepotibus Caio et Lucio.

Versu 73. *Difficillimis temporibus restituendum ratus.*) Occasione quippe expulsorum Jesuitarum, natique inde cum Romanis dissidii, gravia ac salebrosa multa tractari communiter oportebat.

Versu 75. *Quinque omnino eo adlegi.*) Viginti pro negotiis publicis in consilium sibi adhibuisse Augustum, memoriae prodit Dion Libro LVI. Totidem Tiberium Suetonius cap. 55. Galba quoque, eodem Suetonio teste cap. 10. adflictis et nutantibus imperii rebus consulturus, *e primoribus prudentia atque aetate praestantibus, velut instar senatus, ad quos de maiore re quoties opus esset, referretur, instituit.* Antiquos igitur Caesares, Augustum praesertim, Auctores atque Institutores habet Sanctius Consilium hodiernorum Regum; quod in Hispaniam quidem primus invexisse traditur Carolus Quintus; in Lusitaniam vero Rex Sebastianus.

Versu 97. *Hunc Principis Beriensis titulo ornatum.*) Etiam morem hunc, quo Liberos et Nepotes suos, qui sibi in imperio successuri creduntur, *Principum* titulo ornare solent plerique hodie in Europa Reges; originem duxisse crediderim a veteri Aula Imperatorum Romanorum, in qua et *Caesares*, et *Principes Juventutis* honoris gratia adpellari solebant Filii vel Nepotes Caesarum, qui vivis adhuc Parentibus aut Avis, Successores imperii destinabantur. Et primos quidem utroque honorario titulo ornatos lego Caium et Lucium, Nepotes Augusti ex Marco Agrippa et Julia, de quibus in Ancyrano Lapide haec Avus ipse adnotata reliquit: CAIUM. ET. LUCIUM. CAESARES. HONORIS. MEI. CAUSA. SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS. CONSULES. DESIGNAVIT. EQUITES. AUTEM ROMANI. UNIVERSI. PRINCIPEM. JUVENTUTIS. UTRUMQUE. EORUM. PARMIS. ET. HASTIS. ARGENTEIS. DONATUM. APPELLAVERUNT. De iisdem Nummum producunt Torrentius et Chifullus ita inscriptum: C. L. CAESARES. AUG. F. COS. DESIG. PRINC. JUVENT. Post hos Caligula, ut habet Suetonius cap. 18. *Fratrem Tiberium die virilis togae adoptavit, adpellavitque* PRINCIPEM JUVENTUTIS. Capitolinus in Aelio Vero: *Nostris temporibus a Vestra Clementia* (Diocletianum adloquitur) *Maximianus atque Constantius CAESARES dicti sunt, quasi quidam Principum Filii, et designati Augustae Maiestatis Heredes.*

Ver-

Versu 135. *Multos etiam de plebe et natalibus restitui, et ad Senatorium evexi ordinem.*) Natalibus restitui a Veteribus ICtis is dicitur, qui a Principe in ingenuitatem adseritur, et quasi primaevo Hominum statui redditur. Quo multo adhuc splendidius et honorificentius est in Senatorium adsciscì ordinem; utpote cujus tanta apud Romanos dignitas erat, ut Senatorum ordinem passim vocitent Romani Scriptores *amplissimum*, ut Cicero in Oratione *pro Cluentio*, et Lex 21. D. *De Legat.* Senatores vero *clarissimos* haberi et dici voluerit Alexander Severus, teste Lampridio in ejus vita cap. 21. Unde *Clarissimatus Dignitas* postea invecta aevo Constantini, de qua Ammian. Marcell. Lib. XXI. cap. 31. Et in Lege 5. Cod. *De Proximis Sacror. Scrinior.* Fuit autem haec antiquorum Caesarum cura praecipua, ex plebeis *novos Homines* facere, ex novis Hominibus *Patricios* adlegere; quod de Julio Caesare aperte tradit Suetonius cap. 41. de Augusto Dion Cassius Libro LII. de Vespasiano Aurelius Victor in *Caesaribus.* Atque ex his unus fuit Marcus Tullius Cicero, quem nullis natalibus commendatum ad summam Consulatus Dignitatem provexit insignis morum probitas, et singularis in dicendo facundia.

NOTAE AD TABULAM TERTIAM.

Versu 1. *Et quidem provocatus.*) Spectat hoc ad justitiam belli, quemadmodum illud Suetonii de Augusto cap. 21. *Nec ulli genti sine justis et necessariis causis bellum intulit.* His causis intervenientibus *justum piumque bellum* dicebant Romani, ut ex Livio aliisque notum.

Versu 23. *Lectissimus semper exercitus.*) Sic *Lectissimus Vir* Ciceroni Verrina III. cap. 6. *Lectissimus Juvenum* Statio Lib. V. Silv. I.

Versu 38. *Et me mira arte ac felicitate ex aere fuderat.*) Plinius Lib. XXXIV. cap. 8. *Theodotus, qui Labyrinthum fecit Sami, ipse se ex aere fudit.* Ars autem et felicitas Lusitani Statuarii in eo eluxit, quod octo minutorum spatio una atque eadem fusura insidentem equo Regem expressit, nulla vel minima deficiente particula aut naturae, aut ornatus.

Versu 40. *Splendidissimis militiae insignibus et duplici stipendio honestavi.*) Similiter Colossi Neroniani Refectorem *insigni congiario, magnaque mercede donavit* Vespasianus, ut apud Suetonium legimus cap. 18.

Versu 52. *Missis Civium Coloniis.*) Digna semper maximis

K Prin-

Principibus cura, deductio Coloniarum vel in Provincias, vel in transmarinas Regiones. Augustus in Breviario Ancyrano : COLONIAS. IN AFRICA. SICILIA. MACEDONIA. UTRAQUE HISPANIA. IN GALLIA. COMATA. ET. GALLIA. NARBONENSI. PRAETER PRAESIDIA. MILITUM. DEDUXI. Erant igitur Coloniae aliae militares, aliae civiles. Utrasque hic designat Augustus. Utrasque Augustum imitatus designat et Rex noster.

Versu 57. *Vitiorum omnium sentinam.*) Metaphora a sentina in navibus, quo sordes omnes defluunt. Cicero in Catilinam II. 4. *O fortunatam Rempublicam, si quidem hanc sentinam ejecerit.* Usurpat etiam Sallustius in Catilina.

NOTAE AD TABULAM QUARTAM.

VErsu 2. *Collegium Negotiatorum praefeci.*) Dictum hic *Collegium Negotiatorum*, quemadmodum apud Romanos Scriptores et in veteribus Lapidibus passim legas *Collegium Augurum*, *Collegium Pontificum*, *Collegium Praetorum*, *Collegium Fabrorum*, *Collegium Centonariorum.*

Versu 9. *Pro vinis Superioris Durii.*) *Superior Durius*, ut *Mare Superum* Ciceroni; *Superior Germania* Suetonio.

Versu 25. *Negotiatorum Ordinem.*) Sic *Ordinem Senatorium*, et absolute *Ordines* dicebant Romani, quoties de diversis civium Classibus sermo erat. Suetonius in Augusto cap. 41. *Liberalitatem omnibus ordinibus exhibuit.*

Versu 26. *Ne in sordidis haberetur Mercatura.*) Sicut apud Romanos habebatur Lege Claudia, et Lege Julia, et Lege 3. C. *De Commerciis et Mercatoribus.* Quo spectat et illud Suetonii in Vespasiano cap. 16. *Negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quaedam tanti, ut pluris postea distraheret.*

Versu 44. *Fodinis nimium quantum attenuatis opem tuli.*) Abrogata Lege *de Capitatione*, ut vocabant, quam extremo Patris Principatu ab eo extorserant Aulicorum quorundam consilia improvida, et male sana.

Versu 51. *Lege de eradicandis Cistaganis vinetis rem frumentariam mire promovi.*) Parem Legem eadem de causa, et eodem fine tulit Domitianus, de quo ita scribit Suetonius cap. 7. *Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, nequis in Italia novellaret; atque*

in Provinciis vineta succiderentur, relicta ubi plurimum dimidia parte. Hinc vero servatum videtur sub Imperatoribus sequentibus, ut promiscui non esset juris vitem instituere; sed eorum tantum, qui a Principe veniam impetrassent. Vopiscus in Probo, cap. 18. *Gallis omnibus et Hispanis ac Britannis hic permisit, ut vites haberent, vinumque conficerent.* Eutropius de eodem: *Vineas Gallos et Pannonios habere permisit.* Quae duo loca nobis indicasse magnum Casaubonum non dissimulamus.

Versu 56. *Sed et Quaestorum male fidam administrationem pertaesus.*) Hac ipsa de causa, opinor, aut simili, curam Aerarii a Quaestoribus ad Praetores transtulit Augustus, teste Suetonio cap. 36. Hinc *Praetores Aerarii* memorat Tacitus Annal. Lib. I. cap. 75. et *Praetores Aerarios* Frontinus Libro altero *De Aquaeductibus.*

Versu 59. *Romano more in unum Aerarium contuli.*) Romano more, stante quidem Republica. Nam sub Caesaribus et Aerarium erat, et Fiscus; Aerarium Populi Romani, Fiscus Principum. Apertissimum ac notissimum id ex Suetonio cumpluribus locis. Ut in Augusto capite extremo: *Quantum pecuniae in Aerario et Fiscis.* Et in Vespasiano cap. 16. *Compulsus summa Aerarii Fiscique inopia.* Augustus ipse utrumque non obscure innuit, ubi in Ancyrano Monumento scribit: QUATER. PECUNIA. MEA. JUVI. AERARIUM. Quo spectat et vetus Nummus Gentis Viniciae cum hac Inscriptione: S. P. Q. R. IMP. CAES. AUG. QUOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. IS. AD. A. DE. Hoc est, *Quod viae munitae sunt ex ea pecunia, quam is ad Aerarium detulit.*

Versu 61. *Hujus Suprema Praefectura.*) Praefectum Aerarii memorant Tacitus Annal. Lib. V. cap. 8. et Gellius Lib. VI. cap. 23. Vetus etiam Lapis apud Gruter. MXXVIII. 5. C. PLINIUS. L. F. CAECILIUS PRAEF. AERAR. SATURNI.

Versu 64. *Rationem accepti et expensi in Codices referendi.*) Rationarios hujusmodi Codices et Romani Principes habebant, curabantque quam diligentissime. Suetonius in Augusto cap. 28. *Rationarium Imperii* vocat: in Galba cap. 16. *Breviarium Rationum.* Quo sensu et *Breviarias Rationes* dicit Scaevola ICtus Lege ult. *De Peculio Legato.*

NO-

NOTAE AD TABULAM QUINTAM.

VErſu 1. *Legibus novis latis exoleſcentia antiquiorum Regum Inſtituta revocavi, et fugientia jam ex noſtro conſpectu beatorum temporum Exempla imitanda propoſui.* Sumpta haec omnia, paucis mutatis, ex Ancyrano Monumento, ubi ita profatur Auguſtus: *Legibus novis latis exempla maiorum exoleſcentia revocavi, et fugientia jam ex noſtro conſpectu avitarum rerum exempla imitanda propoſui.* Ita enim pulcherrimum locum partim ex fide exeſi Lapidis, partim ex conjectura ſyllabas et litteras omnes, quae ſuperfuerant, ſagaciter aucupanti, reſtituit doctiſſimus *Antiquitatum Aſiaticarum* explorator Edmundus Chiſullus.

Verſu 15. *Luxum ſponſalitiae ſupellectilis, et nimiam coenarum lautitiam in Nuptiis coarctavi.*) Sumptuarias Leges Romanorum, atque in his Fanniam et Liciniam, diligenter percenſet Gellius Lib. II. cap. 24. Nequis itaque miretur, eo curas ſuas demiſiſſe tantum Principem, ut Rei etiam Cibariae, Veſtiariae, et Vehiculariae modum praeſcripſerit; audiat quid de Julio Caeſare tradat Suetonius cap. 43. *Lecticarum uſum, item conchyliatae veſtis, et margaritarum, niſi certis perſonis et aetatibus, perque certos dies ademit. Legem praecipue ſumptuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum custodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad ſe; ſubmiſſis nonnumquam lictoribus atque militibus, qui ſiqua cuſtodes fefelliſſent, jam adpoſita e triclinio auferrent.* Nihilo autem in privatorum lautitiis coercendis ſegniores fuiſſe reliquos Caeſarum, diſces ex iis, quae Suetonius ipſe memorat de Tiberio cap. 34. et de Nerone cap. 16.

Verſu 46. *Suprema Praetoria et Supremas Curias ſaepe ſaepius legi.*) Proprium verbum, atque ea quidem in re Latinis Scriptoribus pene unicum, *Legere.* Adhibetur autem, quoties e Magiſtratuum ordine in unamquamque Curiam eos adlegit Princeps, quos propriis muneribus obeundis maxime idoneos judicat, indignis vel minus habilibus ſubmotis. Hoc ſenſu Auguſtus in Ancyrano Breviario: SENATUM. TER. LEGI. Livius Lib. XI. cap. 51. *Cenſores fideli concordia Senatum legerunt.* Paterculus Lib. II. cap. 89. *Senatus ſine aſperitate, nec ſine ſeveritate lectus.* Suetonius in Auguſto cap. 35. *Senatorum adfluentem numerum ad modum priſtinum et ſplendorem redegit, duabus lectionibus.*

Verſu 49. *Niſi integris moribus, et illibatae famae.*) Quanta mo-

morum integritate, quantaque religione esse debeant, qui Juri dicundo admoventur a Principe, insigniter docet sequens locus Suetonii de Augusto cap. 35. *Quo autem lecti probatique religiosius Senatoria munera fungerentur, sanxit, ut priusquam consideret quisque, thure aut mero supplicaret apud Aram ejus dei, in cujus templo coiretur.* Eodem consilio illud quoque Romanis moribus institutum, quod nostris pariter receptum est; ut qui in Senatum optarentur, palam jurarent, numquam se nisi ex Legum praescripto sententiam laturos. Tacitus Annal. Libro I. cap. 74. de Tiberio agens: *Ad quod exarsit adeo, ut rupta taciturnitate proclamaret, se quoque in ea causa laturum sententiam palam, et juratum.* Suetonius de eodem cap. 34. *Siquem reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat, Judicesque Legum et religionis admonebat.* Justinianus Lege 14. Codicis *De Judiciis*: *Cui non est cognitum, antiquos Judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius juramentum praestitisent, omnino se cum veritate et Legum observatione judicium dispositiuros.*

Versu 62. *Repetundarum Reos severissime punivi.*) Suetonius de Julio Caesare, cap. 43. *Jus laboriosissime ac severissime dixit. Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit.* Legem ea de re Caesar ipse instauravit, quae ab eo *Julia De Repetundis* dicitur. Primam enim *De Repetundis* instituerat Lucius Piso Frugi, ut ex Ciceronis Verrina VI. et Libro *De Officiis* III. discimus. Sed et Lege XII. Tabularum gravissime puniri solitos Judices Arbitrosve, qui ob rem dicendam pecuniam accepissent, observat Gellius Lib. XX. cap. I. Lampridius de Alexandro Severo cap. 17. *Referebat Encolpius, quo ille familiarissimo usus est, illum si unquam furem Judicem vidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret: tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud se probatum esset, quod fures fuissent. Addit Septimius, qui vitam ejus non mediocriter executus est, tanti stomachi Alexandrum fuisse in eos Judices, qui furtorum fama laborassent, etiamsi damnati non essent; ut si eos casu aliquo videret, commotione animi stomachi choleram evomeret, toto vultu inardescente, ita ut nihil posset loqui.*

Versu 63. *Largitionibus corruptos etiam ignominia notavi.*) Aliud est *poena*, aliud *ignominia*. Nam poena vel damnum irrogat, et tunc proprie *multa* dicitur; vel dolorem infert, et tunc quoque *supplicium* adpellatur. Ignominia vero nominis tantum nota est, quod honestatis nomen habere desinat is, qui ignominia notatur. Isidorus *Orig.* Lib. V. cap. 27. Hinc pulchre apud Nonium Cicero *De Republica* Lib. IV.

Censoris judicium nihil fere damnato adfert, praeter ruborem. Itaque ut omnis ea judicatio versatur tantummodo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est.

Versu 86. *Professores supra octingentos.*) Sic Vespasianus teste Suetonio, *primus e Fisco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena constituit.* Sic Antoninus Pius, teste Capitolino, *Rhetoribus et Philosophis per omnes Provincias et honores et salaria detulit.* Sic denique Alexander Severus, teste Lampridio, *Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, Mecanicis, Architectis salaria instituit, et Auditoria decrevit.* Adde, si lubet, Tit. Cod. *De Studiis Liberalibus Urbis Romae et CPnae.*

NOTAE AD TABULAM SEXTAM.

NOtaturus aliquid de magnificis sumptuosisque Operibus, quae Pombaliensi Marchione Consiliario et Administro impigre adgressus est, feliciusque perfecit Rex Josephus: Nihil opportunius praemittendum arbitror, quam quod de Caligula magna semper atque ardua audente scripsit Suetonius cap. 37. *In extructionibus nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur.* ET JACTAE ITAQUE MOLES INFESTO AC PROFUNDO MARI, ET EXCISAE RUPES DURISSIMI SILICIS, ET CAMPI MONTIBUS AGGERE AEQUATI, ET COMPLANATA FOSSURIS MONTIUM JUGA, INCREDIBILI QUIDEM CELERITATE. Sed pergo jam ad Notas singulares.

Versu 23. *Omnium sane quae in Europa celebrantur pulcherrimo.*) Clausum illud a Meridie Oceano, a tribus lateribus Regiis Curiis, Parallelogrami formam exhibet, longum palmos DCCCLXX. latum palmos DCCCXXX. Eminet vero in medio Statua Regis Equestris, marmoreo Perystilio superposita, summaque tectorum fastigia excedens: ut quod de Trajani Foro scripsit Cassiodorus Lib. VII. Epist. 6. *Trajani Forum vel sub adsiduitate videre miraculum est*; id non minus vere de Olisiponensi hoc nostro dixerit, qui saepius ingrediatur.

Versu 25. *Domus exigendis portoriis destinata.*) Portoria sunt vectigalia, quae pro peregrinis mercibus solvuntur. Suetonius in Julio Caesare cap. 43. *Peregrinarum mercium portoria instituit.*

Versu 28. *Et Bibliotheca publica.*) Hanc primus omnium Lusitanorum Regum extruendam, et Codicibus undique conquisitis locupletandam curavit Josephus I. Adnexa autem est Regiae Curiae Censo-

so-

ſoriae, ut Romana illa Auguſti Templo Apollinis; et illa Alexandrina Ptolemaei Philadelphi Muſeo doctorum virorum, qui publico ſumptu alebantur.

Verſu 46. *Subter navigabili et penſili urbe.*) Sumptum ex Plinio Lib. XXXVI. cap. 18. ubi de Cloacis agit a Tarquinio extructis.

Verſu 63. *Urbem antea confertiſſimam et confuſiſſimam.*) Talis Roma ante Neronem. Vide Caſaubonum ad illud Suetonii in Julio cap. 41. *Per dominos inſularum egit.*

Verſu 65. *Inſulisque diſtinxi.*) *Inſulas* Latini vocant ſeries domorum a ceteris omni ex parte diſcretas ac ſeparatas, ut inſulas in medio mari. Quae vox hoc ſignificatu frequens Hiſtoriae Auguſtae Scriptoribus, Tacito, Suetonio, Capitolino, et aliis. Vetus Memoria apud Reineſium Claſſ. IV. Inſcrip. 2. INCENDIUM. IN. CAPITOLIO. INSULAE. DUAE. ABSUMPTAE. Quorum imitatione et nos patria lingua *Ilhas* dicimus domos hujuſmodi, nullo modo aliis contiguas.

Verſu 79. *Vias publicas.*) Curam de muniendis et reficiendis viis publicis paſſim in Caeſaribus Romanis commendant Lapides ac Nummi. Ut ille Gentis Viniciae, quem in Notis ad Tabulam Tertiam jam dedimus cum Inſcripſione tali: S. P. Q. R. AUG. CAES. QUOD. V. M. S. EX. EA. P. Q. IS. AD. A. DE. Hoc eſt, *quod viae munitae ſunt ex ea pecunia, quam is ad Aerarium detulit.* Ex Lapidibus unum Emeritae ipſi Auguſto dedicatum producimus ex Grutero CXLIX. 4. IMP. CAES. DIVI. F. AUGUSTUS. ORBE. MARI. AC. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO. REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBUS. ET. SANCTISSIMIS. INSTITUTIS. REFORMATA. VIAM. SUPERIORUM. CONSULUM. TEMPORE. INCHOATAM. ET. MULTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO. DIGNITATE. IMPERI. P. P. LATIOREM. LONGIOREM.QUE. GADEIS. USQUE. PERDUXIT. Capitolinus de Antonino Philoſopho cap. 11. *Vias etiam urbis atque itinerum diligentiſſime curavit.*

Verſu 90. *Aquam quae adpellatur Libera.*) Sic Romanis *Aqua Martia*, *Curtia*, *Caerulea*, *Virgo*, *Alſietina*

Verſu 92. *Ejuſdem Aquaeductum.*) Hunc quidem a Joanne Rege V. inchoatum, continuatum, et tantum non abſolutum, antiquis Romanorum ſive difficultate operis, ſive impenſa, ſive magnificentia nihilo inferiorem dixeris. Laudatiſſimos vero antiquae Romae Aquaeductus non aliunde melius agnoſcet quiſpiam, quam e Julii Fronti-

ti-

tini Opere *De Aquaeductibus*, quod et veterum Codicum fide emendatissimum, et uberrimis Notis illustratum nuper cum Litterario Orbe communicavit Joannes Polenus Professor Patavinus.

Habemus e Patini Museo Nummum Claudii sic inscriptum: TI. CLAUD. DRUSI. F. CAES. AUGUSTUS. GERMANICUS. S. P. Q. R. P. P. AQUAS. CLAUDIAM. EX. FONTIBUS. QUI. VOCANTUR. CAERULEUS. ET. CURTIUS. A. MILLIARIO. XXXXV. ET. ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. XXXII. SUA. IMPENSA. IN. URBEM. PERDUCENDAS. CURAVIT. COS. V.

Extat et Romae Inscriptio Tito dicata hoc titulo: IMP. T. CAES. DIVI. F. VESPASIANUS. AUG. AQUAS. CLAUDIAM. ET. ANIENEM. PERDUCTAS. A DIVO. CLAUDIO. ET. POSTEA. A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SUO. URBI. RESTITUTAS. CUM. A. CAPITE. AQUARUM. A. SOLO. VETUSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDUCENDAS. SUA. IMPENSA. CURAVIT.

Versu 123. *Ob tanta haec tamque praeclara opera ac beneficia.*) Ubique gentium collata in Rempublicam et subditos beneficia amplissimos honores et titulos pepererunt magnis Regibus. A beneficiis quidem *Soterem*, hoc est, Servatorem Antiochum; *Evergetem*, hoc est, Benefactorem Ptolemaeum dixere Graeci. A beneficiis solidam Columnam e marmore viginti pedum Julio Caesari adhuc viventi dedicarunt Romani cum hac Inscriptione: PARENTI. OPTIME. MERITO. A beneficiis PATREM PATRIAE, CUSTODEMQUE IMPERII ROMANI, iidem consecrarunt Augustum. A beneficiis post mortem in DIVOS retulerunt Graeci Successores plerosque Alexandri Magni; Romani plerosque Caesarum suorum; utrique vero etiam Heroas suos. Nam ut pulchre magis, quam pie argumentabatur Plinius Libro II. Naturalis Historiae, cap. 7. *Deus est mortali juvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Quippe omnium aliorum nomina deorum ex hominum nata sunt meritis.*

Versu 126. *Censuit Senatus Populusque Olisip.*) Senatus proprium verbum *Censere*, ut quum ex aliis passim monumentis, tum ex sequenti maxime Inscriptione planum fiet, quam Romae se legisse testatur Achilles Statius noster in Notis ad Suetonii Illustres Grammaticos: HUIC. SENATUS. AUCTORE. M. AURELIO ANTONINO AUG. ARMENIAC. PARTHIC. MAXIMO. GERM. SARMAT.

STA-

STATUAM. PONI. HABITU. CIVILI. IN. FORO. DIVI. TRAJANI. PECUNIA. PUBLICA. CENSUIT.

Verſu 129. *Statuam ex aere Equeſtrem coloſſicae formae.*) Antiquis Statuae erant et *Equeſtres* et *Pedeſtres*. De Equeſtribus Plinius Lib. XXXIV. cap. 5. *Equeſtres utique Statuae Romanam celebrationem habent, orto ſine dubio a Graecis exemplo.* De utriſque Lapis Piſanus, quem egregiis Notis explicavit Noriſius: SUPER. ARCUM. STATUA. PEDESTRIS. IPSIUS. TRIUMPHALI. ORNATU. SUPERQUE. EAM. DUAE. EQUESTRES. INAURATAE. CAI. ET. LUCI. CAESARUM. STATUAE. PONANTUR. Quod ad *Coloſſeas Statuas* adtinet, coloſſeam Neronis memorat Plinius Lib. XXXIV. cap. 7. coloſſeam Veſpaſiano oblatam Suetonius cap. 23. De aliis inſignis locus eſt apud Lampridium in Alexandro Severo cap. 28. *Statuas coloſſas vel pedeſtres nudas, vel equeſtres, Divis Imperatoribus in Foro Divi Nervae locavit omnibus cum titulis, et columnis aereis, quae geſtorum ordinem continerent exemplo Auguſti.* Spartianus quoque in Aelio Vero cap. 7. *Statuas Aelio Vero per totum orbem coloſſas poni juſſit Adrianus.* Utrobique *Coloſſas* in antiquis Codicibus legi obſervat magnus Salmaſius, pro quo alibi *Coloſſeas*, alibi *Coloſſicas* offendas.

Verſu 134. *Die natali meo.*) Natalis Principum dies nulli non genti celebratus ludis, ſpectaculis, conviviis, aliisque laetitiae ac venerationis ſignis, de quibus adcurate agit Cenſorinus in aureolo Libello *De Die Natali.* Porro natalis dies Principis celebrabatur non ſolum vitae, ſed etiam imperii, ut ex Spartiani Adriano, et ex Capitolini Pertinace conſtat. Adde Conſtitutionem Valentis, Theodoſii, et Arcadii A A A. VII. C. *De Feriis.* Et alteram Leonis et Anthemii, C. De eodem, ubi *Certamen Circenſe in ortum aut natalem Principis* memoratur.

Verſu 142. *Dandum in Prytaneo Epulum.*) Et hoc ex veterum inſtituto, praeſertim Graecorum, qui *Prytaneum* vocabant urbis locum, Conſiliis, Epulisque publicis deſtinatum; in quem ad coenam invitare ſolebant Legatos Regum, et Hoſpites quoſvis honoratiores; et ubi etiam publico ſumptu alebantur Cives de Republica praeclare meriti. Diſerte id nos docet Titus Livius Lib. XLI. cap. 20. ubi de Perſeo Macedonum Rege agens haec memoriae prodit: *Cyzici in Prytaneum, id eſt, penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus eſt, veſcuntur, vaſa aurea menſae unius poſuit.* Meminit et Cicero in *Oratore*, cap. 54. ubi in *Prytaneum* admitti quemquam veſcendi cauſa,

sa, in maximis Graecorum honoribus habitum esse testatur. Hinc in *Prytanei* usum vasa et ceteram supellectilem multi donabant. Ut Phanodius ille in Sigeo Lapide antiquissimo apud Chisullum in Antiquitatibus Asiaticis pag. 5. *Craterem, et crateris Basin, et Colum.* Et Farfernius Rheginus in Lapide alio apud Gruterum CLXIV. 7. *Trullam argenteam anaglyptam, et Pelvem aeneam.*

Versu 148. *In Collegio Fabrum.*) Pro *Fabrorum*: syncope passim obvia non solum in Lapidibus, sed etiam in Scriptis Ciceronis, et optimi cujusque; ut *sestertium, nummum, talentum*, pro *sestertiorum, nummorum, talentorum.* Cicero in Oratore cap. 46. *Fabrum et Procum audeo dicere*, non *Fabrorum et Procorum.* Plinius tamen Lib. x. Epist. 42. *Collegium Fabrorum* dicere non dubitavit ad Trajanum scribens, ut et Paneg. cap. 54.

Versu 152. *Cudendos aureos, argenteos, et aereos nummos.*) Sic quum terraemotu prostratas duodecim Asiae Civitates Tiberius restituendas curasset, Nummus publicatus est cum Inscriptione: CIVITATIBUS ASIAE RESTITUTIS. Neque ullum fere vel illustre facinus edebant Romani Imperatores, vel insigne beneficium in Rempublicam conferebant; quin percussus statim Nummus rei memoriam ad posteros transmitteret. Ut ille Augusti cum Inscriptione: CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PARTHIS. RESTIT. Cujus generis amplam segetem dabit Patinus inter Additamenta Suetoniana.

Versu 160. *Ejus etiam aeream Effigiem Statuae meae Throno insculpi.*) Maius quiddam et honorificentius hoc est, quam quod Saturnino Secundo, Intimi Consistorii Administro a Memoria, Statuam sub auro constitui jusserunt Valentinianus et Valens, insignia viri in se et in Rempublicam merita apud posteros commendaturi. Inscriptionem, qualis Romae legitur, talem exhibet Gutherius *De Officiis Domus Augustae* Lib. III. cap. 3. SATURNINO. SECUNDO. V. C. PRAESIDI. PROVINCIAE. AQUITANIAE. COMITI. ORDINIS. PRIMI. INTRA. CONSISTORIUM. MAGISTRO. A. MEMORIA. ET. QUAESTOR. PRAEF. PRAETORIO. ITERUM. OB. EGREGIA. EJUS. IN. REMPUBLICAM. MERITA. DD. NN. VALENTINIANUS. ET VALENS. VICTORES. AC. TRIUMPHATORES. SEMPER. AUGUSTI. STATUAM. SUB. AURO. CONSTITUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT.

Versu 168. *Curante Henrico Josepho Carvallio de Mello.*) Notari honoris ergo in publicis Monumentis debuit nomen clarissimi ac generosissimi Juvenis; quo simul Praeside, Impulsore, et Curatore, tantos

tos honores Auguſtiſſimo Regi ſuo ſtatuit atque adparavit Senatus Populusque Oliſiponenſis. Sic publicis Actis *Conſulum* nomina adſcribebant Romani; *Archontum* Athenienſes; *Ephororum* Lacedaemonii; *Coſmorum* Cretenſes.

